



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXV. S. Sixtvs. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

sunt, nisi se prius probauerint innocentes. Dixit etiam, nusquam  
 legi facultatem disponendi de Ecclesiasticis rebus attributam esse  
 laicis etiam religiosis. Præcepit etiam de personis accusatorum,  
 ut earum fides, vita & conuersatio primò diligenter inquiratur, &  
 postea ea, quæ obiciuntur fideliter pertractentur, quia nihil pri-  
 us fieri debet, quam prædictorum fides, vita & conuersatio dili-  
 genter discutiatur, ne alicuius inuidia, aut inimicitii, aut intentio-  
 ne mala quisquam vexetur.

## XXV.

## S. SIXTVS. II.

**S**IXTVS, natione Græcus, ex philosopho, sedit annum vñū, men-  
 ses 10. dies 23. Fuit autem Valeriani & Decii tempore. et  
 fuit tunc maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehen-  
 sus est à Valeriano, & ductus, ut dæmonibus sacrificaret. Qui, quia  
 præcepta eius contempsit, capite truncatus est, & cum eo sex dia-  
 coni sub die 8. Idus Augusti. Tertia autem die post eius passi-  
 onem passus est & beatissimus Laurentius eius archidiaconus 4.  
 Idus Augusti. Hic ordinauit Episcopos 2. presbyteros 4. dia-  
 conos 7.

<sup>a epist. 1.</sup> **H**ic in epistola, <sup>a</sup> quam Grato Episcopo consulenti eum mi-  
 sit, rationibus & auctoritate plurimorum irrefragabili asseruit &  
 probauit, filium Dei non ex tempore, neque post tempora natum,  
 sed ante omnia tempora de paterno utero inenarrabiliter genera-  
 tum. Hic in eadem epistola hoc, quod à multis suis antecessori-  
 bus constitutum erat ad omnium Episcoporum auxilium se ro-  
 borasse ostendit. videlicet, ut omnes Episcopi, qui in quibusdam  
 grauioribus pulsantur, aut criminantur causis, quoties necesse fu-  
 erit, liberè Apostolicam sedem appellant, atque ad eam, quasi ad  
 matrem, confugiant. & si quis Episcopus etiam iudicatus à com-  
 prouincialibus Episcopis venerit ad Romanæ sedis antistitem, in  
 eius potestate sit, per se, aut per vicarios suos retractare negotium:  
 & dum hoc actum & peractum apud ipsum Romanum Pontifi-  
 cem fuerit, nullus aliis in eius loco ponatur, aut ordinetur Episco-  
 pus, quoniam perscrutari quidem accusati Episcopi causam com-  
 prouincialibus Episcopis licet, diffiniri autem inconsulto Roma-  
 no Pontifice non est permisum.

<sup>b</sup> epist. 2.

Item in alia epistola<sup>b</sup>, quam misit Episcopis per Hispanię  
 pro-

prouincias constitutis, sicut & antecessores sui fecerant, constitutum fecit, ut nemo Episcopum, vel quemlibet Ecclesiæ prælatum <sup>2. q. 7. c. f. q. uis.</sup> prius accusare præsumat, quām eum conueniat, & si aliter egerit, communione priuetur. Similiter statuit, ut nemo Pontificum aliquem Episcopum suis rebus exspoliatum, aut à sede expulsum, excommunicare, aut iudicare præsumat, quia non est priuilegium, quo spoliari possit iam nudatus. Item decreuit, ut nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, vel ordinare, vel iudicare: quia sicut irrita eius ordinatio erit, ita & diiudicatio, quia nullus nisi sui iudicis sententia potest teneri, quoniam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest. Similiter constituit, ne illa quæ incerta sunt iudicentur, quia quamuis sint vera, non tamen sunt credenda, nisi quæ certis indicis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. ITEM auctoritate & verbis Apostoli confirmat, inscriptionem aduersus presbyterum non esse recipiendam absq; *Exod. 23.* duobus vel tribus idoneis testibus. Item à prædecessoribus suis *l. Tim. 5.* plerunque statutum commemorat, ut nemo anathema in Episcoporum suscipiat accusatione. Item, nec illi, qui eos in sua non lunt recipere querela vel accusatione.

## XXVI.

A. CCCLXI.

## S. DIONYSIVS.

**D**IONYSIVS ex monacho, cuius generationem non potuimus reperire, sed annos 6. menses 2. dies 4. Fuit autem temporibus Gallieni ex die 11. Calend. August. Æmiliano & Bassa Consulibus usque in 7. Kalend. Ianuar. à Consulatu Claudi & Paterni. Hic presbyteris Romæ parochias Ecclesias dedit, singulas singulis: & ipsas parochias & cæmeteria eis \* dimisit, & vni- \* *dimit.* cunque ius habere proprium constituit, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat, sed unusquisque suis sit contentus. Et in epistola, \* quam Seuero Episcopo Cordubensis prouinciæ destinauit, ipsi Seuero, cæterisque Episcopis, hoc quod ipse inde ipse statuerat seruare & sequi præcepit. Item in *13. q. 1. c. Eccl. f. stat.* eadem constituit, sicut & sui prædecessores fecerant, ne crimina Episcopis per alios liceret impingi, nisi per ipsos, qui crimina intendunt, & ipsi tales sint, quales superius antecessores suos determinasse sepe ostendimus. Hic ordinauit Episcopos 8. presbiteros 12. diaconos 6.

D 2

XXVII.